

viribus posse adscribere. Imo quanto amplius homo suæ voluntati, viribus, & facultati tribuit, tanto magis officit gratiæ divinæ, naturæq; corruptæ reparationi. Quocirca meminerim⁹ moriendum esse proprijs viribus, propriæ sapientiæ, propriæ voluntati, & philautiæ, soli q; Deo absolutam potestatem omnia in nobis operandi faciendâ, sic ut ne tantillum quidem in nobis voluntati & operi Dei adversetur.

Quoad enim istud nō fit, nec nisi sub- *Deo se*
 jectū patiens sum⁹, ita ut Deus omnia *totum*
 in nobis operetur, nos autem ipsum & *relin-*
 ipsius operationē voluntatemq; purè *quere &*
 patiamur: tum vero palam est impedi- *resigna-*
 ri à nobis Deum quo min⁹ cum anima *re oper-*
 nostra se uniat, suam imaginem in no- *ret.*
 bis renovet, & corruptelā naturæ no-
 stræ emendet. Nam voluntas propria, philautia, ambitio, sapientiæ persuasio, & quicquid nobis arrogamus, impedimenta sunt Dei propter quæ non potest ex animi sui sententia in nobis operari. Sicut enim voluntas humana hominem seipso efficit deteriore: ita divina voluntas eundem magis magisq; perficit & emendat. Unde Bonaventura ait: *Tota religionis perfectio, in*
Volun-